



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quae sit propria promissio Euangelij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

gratis, ideò dicitur hæc promissio propria Euangelij, quia gratis, id est, sine merito operum nostrorum, sed ppter filium, vult nos reputare iustos. Nò enim possumus hoc mereri à Domino, nempe iustificationem & salutem, ideò hoc ad merendum imposuit filio suo Esai. 53. Ipse peccata nostra portauit, 1. Petr. 2. super ligno, ob id gratis nobis distribuitur propter ipsum Christum, non vt particula, Gratis, excludat fidem, pœnitentiam, & opera, hæc enim exiguntur, sed ideò gratis, quia nò propter nostra opera, sed ppter Christi opus hoc nobis distribuitur. Et quia sine merito nostro hoc accipimus, ideò ex parte nostra gratis accipimus, licet non donetur gratis ex parte Christi, nã ipse vulneratus est propter peccata nostra, Esai. 53. Et hæc promissio salutis & iustitiæ, ideò transfertur in Christum, & nostris adimitur operibus, vt promissio sit firma, Rom. 4. Nunquàm quæta & firma esset conscientia, si iustificatio à nostris pderet operibus: nunquàm enim satis operamur. At quoniã propter Christum distribuitur iustitia & salus, ideò segura est conscientia credens huic promissioni, propter Christum cupiens misericordiam,

2. Sic inquit Paulus, arbitramur hominem iustificari fide sine operibus legis, Rom. 3. Et Petrus Actorum 10. Huic omnes Prophetæ testimoniũ perhibent, &c. & Psalm. 52. Deus in nomine tuo saluum me fac Act. 4. Non est nomen aliud sub cœlo, &c. Lucæ ultimo, prædicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, id est, propter nomen suum nos iustificamur gratis. Oportet igitur semper tenere hanc particulam, Gratis, in animo, vt dubitatio excludatur, & sit firma fides promissionis firmæ. Et ne Euangelium transformetur in legẽ, si esset promissio conditionalis, scilicet vt tunc haberemus remissionem peccatorum quando legi satisfecerimus. Est igitur promissio

promissio Euangelij propria, quòd gratis remittuntur peccata, gratis pronunciamur iusti, id est, reconciliati, & accepti: & quòd propter Christum efficiamur hæredes vitæ æternæ. Ad hanc igitur promissionem nihil faciunt opera nostra, nisi quòd media sunt, quæ gratuitam accipiunt gratiam.

Promissio est legis, qua lex sequi debet necessario fidem, alioquin iustificatio non retinetur, Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis: & in obedientia legis & operibus, non vult Deus gratis sibi seruire & legem impleri, sed pro illis offert & promittit mercedem temporalem & æternam, Exod. 20. Deuter. 28. Leuit. 16. Matth. 19. Marci 10. Luc. 18. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis & in tempore hoc, & in futuro seculo vitam æternam. Et pietas habet promissionem præsentis vitæ & futuræ, 1 Tim. 4. Sic omnia opera nostra habent præmium & gratia, tamen propterea quia fiunt ab illis qui in Christum filium DEI credunt, quæ fides sanctificat arborem, id est, personam: Et sunt varia præmia secundum gradus laborum, vt sæpè diximus, 1. Corin. 3. Matth. 25. Ioannis 5. Et procedent qui bona fecerunt, &c.

Et quoniam filij & hæredes sumus per fidem, ideo hæc opera nostra beneficio Christi ex gratia compensantur gloria æterna: quod nullo modo fieret, si non primùm essemus per fidem accepti & hæredes, sicuti labor & obedientia filiorum erga parentes, tametsi gratus est parentibus, nullo tamen pacto mereatur filius hæreditatem, nisi primùm sit natus hæres. Attamen contumaces filij possent exhæredari: sic qui non obedientia legis testantur fidem suam erga DEVM patrem. Vt pius pater promittit obedienti filio hæreditatem, licet illi debeatur, quia natus hæres: sic operibus nostris promittitur vita æterna, quæ tamen aliàs gratis donatur propter fidem in

F + Chri-